



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiae Gallicanae, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

II. Gregorius II. hortatus est Germanos uti Bonifacio impendia necessariae præberent. Tandem Gregorius VII. formulam jurisjurandi præscribens Metropolitanis, jurare eos præcepit uti Legatos Romanos ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15617**

dendam rationem rei à se gesta cogi non posset, quantumvis iniqua sententia esset. De cetero, inquit, *predam à Putracensibus in me & in Carnotensem Ecclesiam factam jure possem à vobis repetere, si reverentiam vestram in jus vocare possem, qui ad suggestionem emulorum meorum predictos sacrilegos à me & cœpiscopis meis communiione privatos me nesciente communiione reddidistis, ac per hoc scelerum suorum impunitate ad perpetranda majora sacrilegia relaxastis.*

X. Denique judicia Legatorum ac delegatorum sedis apostolica facta in provinciis debere esse sacrosancta decrevit Innocentius III. adversus Episcopum Pictaviensem scribens. Cùm enim præfatus esset de magnitudine & dignitate Romanæ Ecclesiæ, dixissetque eam esse conditionis humanæ legem ut hominem simul in diversis locis existere aut ad loca remotiora transvolare subitò non permittat, addit Romanum Pontificem, quæ per se ipsum non potest, per Legatos suos vel delegatos judices exequi. Castigat deinde temeritatem Episcopi Pictaviensis, qui publicè prædicabat se in episcopatu suo esse velle Episcopum atque Papam, & asserbar quòd per judices delegatos à Papa, quos Papa judicellos appellabat, in sua diocesi nihil agi sineret, Capellanis porrò de Mirebello præsumperat inhibere ne observarent sententias quas delegati ab Innocentio judices protulerant & præceperant firmiter observari. Castigato igitur Episcopo illo, jubet uti sententia illa firmiter observeatur, ea præclara ratione addita: *Si enim delegatos à nobis judices pro mandatorum executione nostrorum tanto discrimini subiacere contigerit, quis commissiones nostras recipere aut mandata exequi non timebit?*

CAPVT XLVIII.

Synopsis.

I. Legatorum in provincias adventus ne minimo quidem sumptui olim erat provincialibus. Demum lata lex est, qua cautum est uti eis suppeditarentur sumptus, non solum necessarij, sed etiam liberales. Refertur elegans locus Serlonis Episcopi Sagiensis.

II. Gregorius II. hortatus est Germanos uti Bonifacio impendia necessaria præberent. Tandem Gregorius VII. formulam iurjurandi præscribens Metropolitanis, jurare eos præcepit uti Legatos Romanos in eundo & redendo honorificè tractarent & in suis necessitatibus adjuvarent.

III. Hoc Gregorij decretum statim receptum est. Hungari tamen resistere; ut colligitur ex epistola quadam Paschalis secundi, qua emendatur. Baronij hallucinatio detegitur, qui ex una Paschalis epistola duas fecit.

IV. Stabilita necessitate suppeditandorum Legatorum sumptuum, præscriptus ab eis est ordo solutionis, co-

Tom. II.

Etique provinciales immensas auri argenticque moles pendere. Probatum ex Joanne Saresberienfi, & ex sancto Bernardo.

V. Probatum etiam ex epistola Friderici I. ad Adrianum quartum, in qua sevi Legatorum quorundam actus describuntur. Eis charta pura sigillata dabatur, ut in ea secundum occasiones scriberent quod animis collubitum esset suis.

VI. Hunc fuisse vetustis illis seculis morem Ecclesiæ seu Curie Romana probatur etiam ex Matthæo Parisio.

I. LEGATORUM Apostolicæ sedis in provincias adventus ne minimo quidem sumptui olim erat provincialibus. Simpliciter victitabant, & si quid illis dabatur, ultro dabatur, nemòque cogebatur ad præbendos sumptus Legatis. Vltimis verò temporibus lata lex est, qua cautum est uti Legatis apostolicæ sedis suppeditarentur sumptus, non solum necessarij, sed etiam liberales, ab iis ad quos mittebantur. Elegans est locus Serlonis Episcopi Sagiensis apud Ordericum Vitalem in libro duodecimo historiae ecclesiasticæ. Hic ergo cùm inaudivisset Cardinales Romanos Petrum & Gregorium adesse, Clericis dispensatoribus suis dixit: *Velociter ite, & diligenter Romanis servite, abundanter eis omnia dantes quæ necessaria sunt, quia legationem Domini Pape, qui post Deum universalis pater est, deserunt, ipsique, qualescunque sint, magistri nostri sunt.*

II. Primus omnium Gregorius II. mittens in Germaniam Bonifacium, Clericis ac nobilibus laicis eum commendaverat, nihil sanè imperans, sed hortans ut ei impendia necessaria præberent. Contributio autem illa infra mediocritatem subsistebat, quòd exigui admodum sumptus sufficerent homini frugaliter viventi & Apostolorum virtutibus æmulanti, ac præterea contributio illa sponte fiebat à volentibus. Tandem Gregorius septimus, qui Legatorum auctoritatem in immensum extulit, etiam eorum commodis consulens, Metropolitanis formulam præscripsit secundum quam jurare debebant cùm Pallium eis ab apostolica sede dabatur. In ea verò formula addita est clausula de procurationibus Legatorum, ut eo pacto certi illis essent sumptus necessarij. Clausulæ illius hæc sunt verba: *Legatum Romanum eundo & redeundo honorificè tractabo & in necessitatibus suis adjuvabo.*

III. Hoc Gregorij decretum statim publicatum, statim receptum est. Hungaritari, quamquam sit major è longinquo reverentia, detrectaverunt per illas tempestates tribuere Legatis munera seu tributa quæ citra contradictionem eis solvebantur in aliis provinciis. Colligitur istud ex epistola Paschalis secundi ad Archiepiscopum Colociensem.

S ij

Vid. supra cap. 11. §. 2.

Inoc. III. lib. 16. tit. 11.

Order. Vitale pag. 877.

Vid. infra lib. 6. cap. 10. §. 2.

Apud Baron. ad an. 1079. §. 7. & cap. Ego N. De iurjurando.